

*stittiae*, Ps. XXIII. 3. *Semitae Dei*, Ps. XXV. 4. *Semita Praeceptorum Dei*, qua delectamur. Ps. CXIX. 35. Ρύμη haec vere εὐθεῖα. Act. IX. II. cuius amantes, ἐν καμποῖς εὐθύτητος, vertente sic AQVILA, & ἐν τρεῖβω εὐθεῖα, ut SYMMACHVS reddit, sacra quadam voluptate perfusi, incedunt. LAMBERT. BOS, *Septuaginta*, ad Prov. IV. II.

## III.

*Non angustus est* ita feliciter edoctis gressus, ut vacillare, vel pedem offendere, necesse sit. Arctantur mediocriter doctis omnia; Nihil succurrit memoriae, verba crepant inania, consilii premit inopia, curta quoque domi, in erudito apparatu, supellex est, anguntur postea praecordia, si quando in publicum prodire oporteat, & mentis, male edoctae, ridenda saepius specimina fiunt. Solide contra nutriti, regiam ambulant viam, hac incedunt, hac aliis cedunt, haerentes quoque iuvant, suaque ad honoris emporia feliciter deportant. Sane, *arctatis gressibus prosternitur consilium*. Job. XLIX. 7. *Ampli contra ubi gressus fiunt, non vacillant malleoli*, Ps. XIIIX. 37. *sed stant in latitudine pedes*, Ps. XXXI. 9. *velutique Rechoboth habitatur, quia latitudinem dedit Iehovah, & fructum faciunt in terra*. Gen. XXVI. 22.

## IV.

*Si cucurreris*, Salomo amplius addit, quum festinato quandoque opus est, ubi boni etiam dormitant saepius Homeri, coecique aliis pariuntur catuli, *Non impingunt* solide eruditi, nec in lapidem *miseriae*, quod *triste*, nec *peccati*, quod *turpe* foret, quod etiam menti τῶν LXX. ἔ κοπιᾶσεις, itemque AQVILAE: ἔ σκανδαλισθήσῃ, minime adversum est.

## V.